

quoddam; quænam igitur est illa indecentia, quod anima perturbato Dei ordine corpori subiciatur? et tamen certissima experientia quotidie comprobatur, quod corpus quod corrumpitur aggravat animam. Magnam hanc vitalem et indignitatem S. Bernardus detestatur dicens: « Dominam ancillare et ancillam dominare, magna abusio est. » Inaudita namque monstruositas futura esset, si potens aliquis regina alicui mancipio et vili servo famulari et obsequi conspiceretur. Quod quidem adeo est evidens, ut vel Gentilis Seneca, solo naturali lumine præditus dicere solitus fuerit: « Major sum et ad majora natus, quam ut sim mancipium corporis mei. » Et Erasmus Socratem dixisse refert: « Hominem ipsum animam esse, corpus nihil aliud quam animæ organum, vel domicilium, aut verius dicam, sepulchrum aut carcerem. » S. Bernardus corporis cum anima comparati considerat vilitatem, ut tanto magis confundat eos, qui tam pretiosæ animæ saccum vermium præferre et antepone non verentur. « O anima, » inquit, « Dei imagine insignita, decorata similitudine, desponsata fide, dotata spiritu, redempta sanguine, deputata cum Angelis, capax beatitudinis, hæc res bonitatis, rationis particeps, quid tibi cum animalibus? »

Quisnam, obsecro, vite suæ adeo prodigus inveniri poterit, qui juratum hostem et traditorem suum, a quo sibi simul cum vita facultates omnes et boni nominis sui existimationem eripiendam esse novit, blande excipiat, et in deliciis et voluptatibus enutrire non vereatur? Maximus inimicus, quem in hac vita sustinere cogimur, est mortale hoc corpus nostrum, utpote quod æternam animæ mortem conciliat, de quo proinde S. Ambrosius unumquemque his verbis admonet: « Non credamus nos hinc corpori, non miscamus cum eo animam nostram; cum amico, inquit, miscere animam tuam, non cum inimico. Inimicum tibi est corpus tuum quod repugnat menti tuæ. » Vultisne videre quanta sit hujusce traditoris ingratitude? Audite eam panem, sed nervosis verbis explicantem S. Ambrosium, dum ait: « Anima vitam corpori tradit, caro autem mortem animæ transfundit. » Hinc a S. Ambrosio tradito monito, valde conforme est quod Doctores Seraphici eadem de re scribentes asserit; dicit enim: « Habes, o anima mea, inimicum domesticum, hostem amicum, adversarium propinquum, qui tibi malum pro bono reddidit et sub specie amicitie crudelior existens, infinitis bonis te privavit. Illic hostis est caro infelix, nullum tibi dilectam. Hanc cum pavisti, inimicum pessimum contra te exerxisti. »

e. — Multe et populo Judæorum dubitarunt circa Domini majestatem et excellentiam, et nullum Dominus ita severe in particulari reprehendit ut diceret: *Nisi signa videritis*. Cur ergo regulus ita

rigide pungitur, qui paterno plane affectu sanitatem filii æstuebat? Cur profluvius non exauditur? Sapienter Hieronymus in finem cap. vii. Ezechielis, ait: « Qui non intelligunt quid sibi prosit, et orant frequenter contraria, expedit eis ut non exaudiantur a Domino. Unde et in oratione Dominica dicitur: *Fiat voluntas tua*; non voluntas nostra, que errare consuevit, sed voluntas tua, que futura cognoscit, magnæque interdum felicitatis est, ad presens misericordiam non mereri. » Heu plerumque, que nobis hianter optamus, inimica potius vota sunt! Pecus ad victimam uberius sanguatur et adipatur. Et Dei iram sæpe portat, in quem mundialis prosperitas toto pondere incumbit, et ad votum cuncta flunt. Si sanna dum tibi incessanter arridet fortuna in continua felicitate, humani infortunii nescio, irati numinis notes haud dubiis characteribus descriptas legere licet. O quoties benignior Dei indulgentia iras nutrit! Non merita indulgentia, penalis supplicii omen est. Dei enim indulgentia, dum peccata dissimulat, peccatores humana felicitate cumulat, minæ sunt acerbiores æternæ iracundiæ et æternæ perditionis indicia.

Deus apud Ezechielem, se adversus Jerosolymam et populum ejus iratum esse, jamque de facto ad sumendum de sceleribus illius justum et severissimum supplicium, flagellum apprehendisse dicit, et tamen in vindictivi furoris sui summo fervore, expressis verbis dicit, *Ezech.*, xvi, 42: *Et requiescet indignatio mea in te, et auferetur zelus meus a te, et quiescam nec irascor amplius*. Porro terribiles illa desolationum, exterminiorum, aliarumque miserabilium ærumnarum comminationes, quibus antecederet hinc sibi rebellem populum consterneret ad inserendum uniuscujusque illos legentis, vel audientis pectori sanctorum Dei timorem, et ad perterrefaciendum omnes sufficient, et tamen post illos protestatur, dicens: *Requiescet indignatio mea in te, et auferetur zelus meus a te, et quiescam, nec irascor amplius*. Quod ipsum, ut S. Hieronymus ait: « Pessimum signum est, tunc enim Deus peccatori, vel maxime irascitur cum illius peccata dissimulare videtur, et impune transire permittit. Ex quo perspicimus gradem offensam esse nequaquam curæ haberi a Deo sed permitti hoc minem sceleribus suis. » Verum enimvero hic modus castigandi ipsius Dei, a paucis intelligitur, scilicet quando Deus a nobis in hac vita castigandis spersedet, licet per culpas nostras divina flagella mereamur. Videbitis nonnunquam quod is qui ingentem quandam fossam vult transilire, communitur aliquot passus retrocedat; sed quo putatis fine id facit? Nimirum ut saltum magis promoveat et vehementius saliat. Eodem modo de divina justitia circa divinorum præceptorum suorum prævaricatores sese habet. Dissimulat enim peccata illa, dif-

fert penam, summam exhibet poenitentiam, in tot injuriarum toleratione; at vero quoniam sine id Deum facere existimatis? Num forte ut peccatores impuniti remaneant? Nequaquam. *Rom.*, ii, 4: *An dicitis bonitatis ejus et patientiæ et longanimitatis contemnitis? Ignoras quoniam benignitas Dei ad poenitentiam te adducat? Secundum autem duritiam tuam, et impensum cor, thesaurizas tibi iram in die iræ et revelationis justi judicii Dei, qui reddet unicuique secundum opera ejus.*

d. — Exprobrat Dominus parvam reguli fidem, quando jam filio animam agente, totus est in remediis corpori adhibendis, nihil sollicitus de judicio quod filio imminet. Huc refert: *Nisi signa et prodigia videritis, non creditis*, quasi dicat: Ubi est fidelium fides de morientibus? Quando adierit de judicio sollicitudo? Non credo meminertis illius examinis, donec illius signa et prodigia percipiatis sensu. Ita S. Anselmus: Non creditis iudicium futurum; securitate torpetis, nisi mirabilibus excitemini. Vere miseri homines, dum patentibus signis non moventur, nil curant iudicium futurum et omnia ad salutem spectantia, ad ipsum differunt limen æternitatis. Magna est autem tunc in illo extremo vite momento poenitentia difficultas. Propheta regius, *Psal.* vi, 6, inquit: *Convertere, Domine, et eripe animam meam, salvam me fac propter misericordiam tuam, quoniam non est in morte qui memor sit tui*. His verbis nos monet ne poenitentiam ad mortem usque differamus, quia expresse dicit: *Quoniam non est in morte qui memor sit tui*. Certum quidem est quod in toto vite humanæ curriculo nullum sit spatium, in quo magis conveniat Dei meminisse, quam in articulo mortis, in quo quævis sollicita esse debet, ut se Deo inseparabiliter per omnem æternitatem conjungat. Et tamen cum sit veritas infallibilis, quod corpus, quod corrumpitur, aggravat animam, ideo in illo extremo momento, quando anima separanda est a corpore, difficile admodum valdeque arduum est, ut anima de Deo serio cogitet. Quænam igitur est Christiani hominis stultitia, quod ad ultimam usque horam illam, negotium illud adeo arduum salutis æternæ reservet et differat, quando illa hora ad hunc finem assequendum adeo est importuna. S. Bernardus, *Serm.* lxxviii in parvis, ita scribit: « Quid dissimulant homines in vita sua agere poenitentiam et extrema de confessione præsumunt? Quomodo sub una hora revocari posse existimant omnia animæ membra, cujus concupiscentiæ et desideria per totum mundum sparsa sunt, et ubique terrarum, velut quodam visco tenentur? Etenim doloris vehementia, infirmitas pœnosa et supervenientia ex vehementia ardoris deliria efficiunt ut tres animæ potentia totaliter labefactentur. Hominis enim agonizantis intellectus obtenebratur et delirat; memoria non reminiscitur; voluntas non appetit

aliud, præterquam malum quod antea habitualiter amaverat. Tantussensitivus dolor opprimit et cruciatu membra coarctat, quam vix homo aliud cogitare valet.

e. — Præcipua ratio cur tam dure et aspere huic regulo, ad petitionem suam respondeat, est, quia cum modica et imperfecta accedebat fide; est enim hæc miraculorum sicut et bonorum omnium principium. Fides recte assimilatur radici arboris vel plantæ alicujus, eo quod hæc omnis influentiæ et vigoris qui cernitur in frondibus, foliis, floribus et fructibus, prima est origo atque principium. Et ideo S. Bonaventura postquam fidem velut fundamentum esse dixisset: « Fides est sicut fundamentum ad sustinendum, » protinus subjungit: « Sicut enim videmus, quod natura quando vult producere plantam, primo ponit radicem; similiter quando edificator facit domum, primo ponit fundamentum; similiter in moralibus, si aliquis vellet ædificare bona opera, debet supponere fidem, quæ est totius spiritualis ædificii fundamentum. » S. Cyrillus Alexandrinus similiter ad radicem alludens, ad nostrum propositum, inquit: « Radix virtutis est omnis Dei cognitio, et pietatis fundamentum est fides. » Quod ideo forsitan S. Bernardus Senensis dicere voluit, quando in quodam sermone de hac virtute ait: « Fides prima et initialis est inter omnes virtutes, et quasi caput talis honorificentia summi Dei. Ipsa nempe caput humanæ mentis, id est, intellectus, ad adorandum et venerandum Dei altissimum Majestatem, » primum incurvat atque inclinat. » Quia sicut S. Apostolus, *II Cor.*, x, 5, ait: *Per fidei captivitatem redigentes omnem intellectum in obsequium Christi.*

VERSUS 49.

Dixit ad eum regulus: Domine, descende, priusquam moriatur filius meus.

Dixit ad eum regulus.

1. — Notandum hic est, quod, postquam propter petita miracula et prodigia reprehensus fuit, ne verbum quidem in sui excusationem, ipsum protulisset constet; imo absque eo, quod animo lingue-retur, majori cum ausu, priorem supplicationem repetiit; et qui prima vice rogabat eum, et descenderet, nunc per imperium Christum aggreditur, verbis imperativis ipsi dicendo: *Descende*. Aliqui credunt, regulus hunc ob filii agoniam vehementi passione correptum, non applicuisse animam ad id, quod benignissimus Redemptor ei exprobraret; vel etiam dicere possumus, ipsum hanc reprehensionem prudenter dissimulasse, sicuti in simili occasione Chananea fecerat, quando Christum audivit sibi dicentem, *Matth.*, xv, 26: *Non est bonum sumere panem filiorum et dare canibus*. Videtur etiam, quod

regulus hic modum divinas a Deo gratias petendi, sancta quadam perseverantia et importunitate didicerit; sic enim apud S. Lucam, xi, 8, hac de re dicitur: *Et si ille perseveraverit pulsans, dico vobis, etsi non dabit illi surgens, eo quod amicus ejus sit, propter improbitatem tamen ejus surget et dabit illi, quotquot habet necessarios.* Salmeron quoque in paulo ante dicta opinione fuit, quod scilicet regulus in illa tristitia et perturbatione animi positus, ad dicta sibi a Christo verba minime relexerit: «Regulus non attendit ad Christi verba, multum enim dominatur affectus animi et perturbatio, quæ non dat locum prædicationi aut correctioni.»

Descende.

2. — Lyranus hanc reguli repetitam petitionem, ut Christus in Capharnaüm descenderet, devotionis fervori potius quam diminutioni fidei attribuit: «Non reprehendit eum de petitione salutis filii sui, sed de defectu fidei suæ; verumtamen quia ex devotione repetit petitionem suam, dicens: Domine, descende, ideo exaudivit a Christo.»

3. — Dionysius Carthusianus ex his verbis imperfectionem fidei ipsius deducit, non solum quia corporalem Christi presentiam ad filium sanandum necessariam esse sibi persuasit, verum etiam quia Christum post mortem eum in vitam revocare non posse existimavit; ideo enim Christi descensum accelerare petiit: *Descende, priusquam moriatur.* Unde Rupertus Abbas regulum eodem modo Christum allocutum fuisse dicit, sicut si expertum aliquem alloqueretur medicum: «Quid aliud peritio diceret medico regulus iste? medico, inquam, qui cum sit homo et non Deus, opus habet per semetipsum ad lectulum ægri accedere, et tam visu oculorum, quam tactu venarum genus morbi dignoscere et secundum morbum antidotum dare; illo enim differente, Domine, descende, inquit, priusquam moriatur; videlicet non credebatur, quod ab illo resuscitari posset, si moreretur.»

4. — Sacri expositores bene notant, imperativum hanc loquendi modum, *descende*; jam enim consuetudinem habebat præcipiendi; sic enim et Naaman, licet a lepra sanari opus haberet, quia tamen Elisæus non eum debita reverentia et obsequio ei occurrerat, iratus denuo ad suos reverti decreverat, nisi furor ejus a bonis et prudentibus ipsius consiliariis mitigatus fuisset. Jansenius in eo, quod S. Joannes statum et conditionem hujus hominis expresserit, mysterium aliquod latere existimat; dicit enim: «Videri potest Evangelista ob id viri hujus potentiam insinuasse, ut indicaret causam, quare ausus fuerit petere, ut Christus secum in Capharnaüm per tam longum iter descenderet, nimirum quod divitibus et potentibus, ob suas divitias nihil videatur denegandum.»

5. — Multorum hujus temporis error est, quod

Deo modum præscribant, qui malis ipsorum remedium dare debeat; successisset enim, quod ei pro sanitate filii supplicasset, cæterum modum ei præscribere non debebat, ut scilicet in domum ejus, idque cum sollicitudine descenderet; semper enim in petitionibus nostris, in divinum ejus beneplacitum nos remittere debemus: *Revela Domine viam tuam, et spera in eo, et ipse faciet.* Psal. xxxvi, 5. In vita S. Thomæ Cantuariensis legitur et speciatim a S. Bernardino Senensi refertur quod dum sanctus hic Archipresul infirmum quemdam sanitatem sibi a Deo restituit postulantem subito sanasset, idem ægre postea se reflectens, quod in hoc se divina voluntati non conformasset, id est, sanitatem sub ea conditione a Sancto sibi restitui non postulasset, si id animæ suæ expediens foret, eumdem Sanctum denuo adiens, cum limitatione prædicta sanitatem petiverit, moxque pristina eum infirmitas reinvaserit. Regius Vates optimum nos modum docet, quo res temporales vel liberationem ab infirmitatibus, vel aliis similibus adversis a Deo petere debeamus; dicit enim, Psal. cxii, 3: *Effundit in conspectu ejus orationem meam et tribulationem meam ante ipsum pronuntio; tu cognovisti sententias meas.*

Priusquam moriatur.

6. — Dionysius Carthusianus ex hac reguli sollicitudine insigne elicit documentum, quo Prælatos Ecclesiasticos instruit et adhortatur, ne minorem spiritualis commissarum sibi, suæque fidelitatis et directioni conceditarum animarum salutis curam gerant, quam hic regulus corporæ sanitatis filii sui: «Sic quilibet bonus Prælati, inquit, a si quem subditorum suorum conspexerit aliquo vitio inquinari, pro illius curacione debet permaxime sollicitari, eumque corripiendo, hortando, instruendo, comminando, corrigendo pro posse sanare.»

7. — Advertendum denique, regulum domi non subsistere usque ad filii mortem, cum presumptione et fiducia consequendæ postea miraculosæ filii a mortuis resuscitationis, sed quantum potest, ne moriatur, facit et prævenit; in quo præclarum nobis spirituale documentum exhibetur, quod scilicet nunquam per propriam voluntatem, medio peccato, anime nostræ morti cooperari debeamus, cum fiducia resurgendi postea, beneficio divinæ misericordiæ; omnibus enim et singulis intentatum est severe: *Maledictus, qui peccat in spe*; unde apposite ad rem nostram hoc nobis consilium tradidit S. Fulgentius: «Nullus hominum debet sub spe misericordiæ Dei, in suis diutius remanere peccatis,» multo minus eadem cum simili spe et presumptione perpetrare, «cum etiam in ipso corpore nemo velit,» sub spe futuræ salutis, diutius ærotare. » Nemo profecto prudens corporalem se ultro conjiciet in mortem ex eo, quod media divina omnipotentia se

speraret resurrecturum; quanta igitur est præsumptio animam occidere, eam mediante misericordia divina revivificandam et in gratiæ statum reducendum fore? quanta temeritas et divina frui pietate, ut tanto in flagitiis audaciores atque animosiores inveniamur.

Additiones.

a. — *Descende priusquam moriatur filius meus.* Valde insipienter dixerat regulus, quod Dominus descenderet, antequam filius ejus obiret. Tamen Dominus hujusmodi insipientiæ non attendens, miseretur et puero dat sanitatem. Quod ponderans D. Cyrillus, l. II in *Joan.*, ait: «Non imperitiam in omnibus nostram Christus respicit, sed, ut Deus, etiam peccatoribus auxilium avertit.» Et de hac insipientia hic eum Deus non reprehendit, sicut antea fecerat ad primam reguli petitionem: *Nisi signa et prodigia videritis, non creditis*; exemplum dans Prælati qui non semper reprehensionibus instandum est. Correctio enim cum discretione instituenda est, et diligenter observanda temporis opportunitas. Correctio autem nimis severa, rigida et indiscreta, impium hominem in desperationem sæpenumero indigit, ipsumque in erroribus suis magis efficit arrogantem, obstinatum et inverecundum. S. Thomas Doctor Angelicus ait, II, *quæst.* xxxiii, *art.* 1: «Admonitio est actus charitatis principaliter quasi imperantis, prudentiæ vero secundario quasi exequentis et dirigentis actum.» Et ideo ad correctionem, non solum ex motivo charitatis procedendum est, verum etiam per dirigentis prudentiæ magisterium. Nimirum æqua trutinæ ponderandum est tempus, locus, qualitas personarum, occasio modus, aliæque similes circumstantiæ exacto libramine sunt attendendæ. S. Antonius de Padua idipsum apta similitudine explicat, desumpta ab eo, qui zizania eradicare volens, culpa sua simul eradicat triticum, qui utique eo ipso insignem meretur penam. «Est autem advertendum,» inquit Sanctus, «vel cavendum, ne dum corrigens vult evellere zizania, incauto zelo simul virtutes evellat, quia tunc non præmiabitur ut corrector, sed punietur et condemnabitur ut destructor.» Cujus figuram adducit ex illis Exodi, xxv, 6, verbis: *Si egressus ignis invenerit spicem, et comprehenderit cæceros frugum, sive stultus segetes in agris, reddet damnum qui ignem succenderit.* «Ignis zelus est,» inquit Sanctus, «qui cum distractione quasi ignis zizania succendit discrete, cum corrigat vitia; sed dum indiscrete correptionis ignem succendit, tunc granum virtutum spargit.»

Non semper tempus est reprehensionis tractandi ferulam. Aptior in hac materia addoci non potest similitudo quam sit illa que a medicina desumitur. Etenim his ad quos spectat alios corrigere, munus quoque incumbit sanandi animarum vulnera et

spirituales infirmitates; medicinæ autem non quavis hora infirmo porrigitur, neque dum febris in maximo suo ardore flagrat, sed ad illas ministrandas tempus congruum expectatur. «Advertendum,» inquit S. Antonius de Padua, quod servanda est cautela, ut non nimis exasperes, «illum, quem corripis, maxime quando scis eum impatientem et et furiosum esse. Exemplum dicunt medici, quod quando materia furiosa prorumpit in aliquid membrum, non debet ipsi imponi repercurssura, ne sic materia ad interiora trahatur, et sic interficiat hominem, lædendo cor et membra vitalia, nec sit asperimus, sed potius lenitiva.» S. Bernardinus eandem facit observationem, dum inter alias circumstantias, quas corrigens advertere debet, hanc quoque observandam esse dicit: «Tertium vero quod requiritur, est opportunitas temporis, id est, quod sit spes, quod non habeat majorem opportunitatem temporis ad corripiendum fratrem;» citatque S. Augustinum, *lib. I de Civ. Dei*, c. xlii: «Si quis præterea objurantibus, dis, corripiendisque male agentibus parci, quia tempus opportunum querit, non videtur occasio cupiditatis, sed consilium charitatis.»

b. — Notandum est hic modus loquendi imperativus: *Descende*; jam enim consuevit habebat regulus præcipiendi, sed Deo non est ita loquendum; semper enim, petitionibus nostris, in divinum ejus beneplacitum nos remittere debemus. Quidquid nobis expedit longe melius nobis agnoscit. Estimatur sæpe infirmum utile quod ut noxiom contra, medicus altiori scientia sanxit; ut quod est utile, aut minus lædens, conferat, denegat quod delectat. Porro voluntas nostra pro fine et objecto suo bonum habet, quia tamen concupiscibilis rationalem sæpe obfuscat, ideo potius ea que delectationem, quam que profectum spectant, postulamus; quando igitur Deus nobis concedit id quod huic expedit, utique dat nobis quod volumus, licet neget quod postulamus. Blosius ait: «Omnino dabit quod petis, si expedit ut accipias; si vero illud non conducit, dabit aliud quod conduceat. Novit quando, novit quatenus tuæ petitioni satisfacere debet. Dum ex infirmitate humana postulas, quod utilia non sunt, absit ut donet qua petis. Quando tale aliquid desideras, quod utrum illi placeat, ignoras, hoc, aut consimili modo orare disce: «Domine si tibi placeat, si expedit ut id fiat, fiat. «Si vero non tibi placeat, si non expedit, non fiat.» D. Chrysostomus in homilia de oratione, ad nostram consolationem ita scribit: «Aliquando non dat, ac utrumque quidem utiliter, adeoque sive accipias, sive non accipias, acceperis tamen dum non accipis; et sive impetres, sive non impetres, accipies; et tamen dum non impetrasti, nunquam enim non accipies utilis est.» Similis doctrina in *Epist. cxx ad Honorat.*, S. Augustini

in hæc verba legitur : « Sive consequamur quod « petimus, sive non consequamur, sed et si repul- « sam passi fuerimus. Nam cum Deus nobis aliquid « negat, non minus est quam si concessisset. Nesci- « mus enim nos quæ nobis conducunt, sicut ipse « novit. »

c. — Dominus rogatur a regulo, ut descendat in domum suam; et eam tamen accedere nolit. A Centurione autem rogatus, ut del sanitatem servo, in domumque suam ne descendat, tamen ad ejus domum statim se confert. Causam dat D. Augustinus, *tract. xvi* : « Videle, » ait, « distinctionem. » Regulus iste Dominum ad domum suam descen- dere cupiebat. Ille Centurio indignum se esse « dicebat. Hic cessum est elationi; illic concessum « est humilitati. » Regulus superbia inflatus impio- riosè dicebat : *Descende antequam moriatur filius meus.* At Centurio magna humilitate se indignum fatebatur, ut Dominus in domum suam veniret, et quod superbiæ ac elationi denegatur, humilitas ac submissio obtinet et impetrat. In Exodo, *ut, 9*, legi- tur, quod Deus Moysi in Madiam greges Jethro soceri sui pascenti apparuit in medio rubi ardentis et tamen incombusti manentis; quem rubum videns : *Abscondit Moyses faciem suam, non enim audebat aspiciere contra Deum.* Quam vero existimatis fuisse causam, quod Moyses suos ad Deum oculos erigere ausus non fuerit? Interpres quidam modernus ait : « Cum abscondisset Moyses faciem suam ex humili- « tate, tunc Dominus revelavit faciem suam, pariter « et secreta opera sua, quæ facturus erat. » Tunc quoque in generalem populi sui decem illum elegit, perpetuamque assistentiam suam ei promisit, et in divinarum secretorum suorum penetralia introduxit. S. Gregorius in quadam homilia super Ezechielem, textum illum Psalmistæ, *Psal. lxxxv, 6* : *Ascensionis suas disposuit in valle lacrymarum,* exponens, inquit : « Convallis proprie humilis locus « est, et peccator quisque, dum se in lacrymis « humiliter affligit in corde, per ascensum virtutis « proficit; qui rursus ait : *Emittet fontes in convul- « sibus,* quia omnipotens Deus dona spiritualis « gratiæ humilibus præstat. » S. Bernardus, *Serm. xxxiv in Cant.*, sic ait : « Quia nisi humilitatis « merito, maxima minime oblinentur, propterea « qui provehendus est, correptione humiliatur; tu « ergo cum te humilitari videris, habeto id signum, « in bonum omnino argumentum gratiæ appropin- « quantis. »

d. — Regulus superbia inflatus, divitiis et nobilitate fretus, imperiosè dicebat : *Domine, descende.* Dominus autem superbis resistit eosque aversatur et odit. S. Ambrosius, *Serm. vii in Psal. cxviii*, ait : « Quid hoc peccato potest esse deterius, quod a Dei « cepit injuria? Ideoque Scriptura dicit : *Dominus « superbis resistit.* Tanquam suæ contumeliæ pro- pulsator, veluti quoddam suscepit adversus super-

biam speciale certamen, tanquam dicat : *Mens « isto adversarius est, qui me lacescit; mihi debe- « tur ista congressio.* Ubi nostra Vulgata legit in Isaia, *xxviii, 1* : *Væ coronæ superbiæ,* legunt Septuaginta : *Coronæ injuriæ,* quia superbi Deo inferunt injurias, et male quoque tractant homines; ideoque Deus illos deprimat et humiliat. In campo Sennar conventio fuit superhorum istorum gigantum, ut turrim Babel erigerent et edificarent; at quanta cum facilitate Deus eorum confudit superbiam? « Confusi sunt, » ait Episcopus Bellovacensis, « quoniam Deus sprevit eos, sicut illi qui volebant « contra Deum ascendere, edificantes turrim Baby- « loniæ. » Et Hugo Cardinalis : « Turris Babel, » inquit, « superbia mundi, quæ contra Deum erigi- « tur, sed confusa dejecitur. » Legimus in S. Bernar- dino Senensi, *Serm. xi, art. 1*, cui titulus : *De peccatis propter quæ exterminabitur mundus,* sequen- tia : « Triâ sunt peccata Deo horrenda, propter quæ « contra rationalem creaturam irascitur Deus : « Superbia scilicet, quæ offenditur Deus per spiri- « tum; luxuria, quæ offenditur Deus per corpus; « avaritia, quæ offenditur Deus per temporalem « substantiam. » De his peccatis, *I Joan., ii, 16* : *Omne quod est in mundo aut est concupiscentia carnis, aut concupiscentia oculorum, aut superbia vitæ.*

Deo quoque exosus est superbus ex alio capite, quia benefactori suo ingratus est. Ignis superborum symbolum et signum est, quia sicut ignis natura sua semper ascendit in altum, ita de hoc vitio cecinit Propheta, *Psal. lxxii, 23* : *Superbia eorum, qui te oderunt, ascendit semper.* Ad eum plane modum quo ignis nunquam saturatur quacumque materia combustibilis, ita superbus nunquam satio- tur. Quid mirum igitur, quod superbus, qui Deum spernit, despiciat et odio habet, Deo pariter odiosus et execrabilis, ac detestabilis sit, ac proinde constringatur Deus ipsum deprimere, et humiliare?

e. — Dominus noster rogatus a regulo, nolit tamen ad ejus accedere domum; et ita nos docet, quod homini beneficiendum sit, et ipse æstimandus non propter terrenam dignitatem, sed ob imaginem sui Creatoris quam portat.

VERBUS 50.

Dicit ei Jesus : Vade, filius tuus vivit; credidit homo sermoni, quem dixit ei Jesus, et ibat.

Dicit ei Jesus : Vade.

1. — « Ad filium reguli non vadit, » inquit Glossa, « ne divitiis honorare videatur; ad ser- « vom Centurionis ire promittit, qui naturam ho- « minis non despiciat; in quo superbiam destruit, quæ in hominibus non pensat naturam, sed quæ « extra patet. » Dionysius Carthusianus aliam,

quare Christus domum reguli in persona non adierit, rationem insinuat, dicens : « Ad filium reguli ire « noloit, non utique ex contemptu persone, sed « ut doceat nos, quia alia sunt judicia Dei, atque « alia hominum, et ut potius pensemus in homini- « bus naturam, quæ ad imaginem Dei facti sunt, « quam temporalia hujus. » Imo Christus semper se pauperibus benevolentior, magisque gratiarum suarum dispensatione se iis partialem præstitit, quam opulenti; unde S. Cyprianus inquit : « Pan- « peres electi, superbi neglecti; Christus pauper « discipulos suos divites aspernatur; pauper mater, « pauper filius, inops hospitium his, qui in forma « scholæ hujus, in Ecclesia militant, præbent effi- « cax documentum. » Auctor Imperfecti, *Hom. xxi*, similiter causam assignat, quare Christus ad reguli ædes rogatus ire noluerit, quemadmodum alias ad Centurionis servum adendum se promptum obtu- lerat : « Illic cum rogaretur, noloit ire, ne forte « personam reguli videretur aspiciere; hic autem « non rogatus promisit ire, ne videatur humilita- « tem contemnere; » at vero Jansenius auctorita- tem D. Chrysostomi secutus scribit : « Quoniam « in negotio Centurionis fides erat confirmata, « ideoque promisit se iturum, ut per prohibitionem « Centurionis, fides ejus et devotio manifestaretur; « hic autem regulus adhuc imperfectus erat et « necdum moverat, quod absens eum curare posset; « unde id addiscere debuit, per id quod non ace- « dit Dominus; » repulsam proinde, quem passus est regulus, ei convertit in beneficium, siquidem filium in illa distantia procul sanando, patrem cum tota familia, in divinitatis suæ fide stabilivit; hæc etiam mens est Theophylacti, dicentis : « Pueri « quidem sanavit febrem, patris autem increduli- « tatem. » S. Cyrillus Alexandrinus pariter inquit : « Duos iisdem verbis Salvator curavit; nam et ani- « mam reguli ad fidem induxit et a corporis morbo « adolescentem eripuit. » Quod si, ut rogatus fue- rat, personaliter in domum reguli concessisset, reguli incredulitas majus fomentum accepisset, juxta illud Lyrani : « Non enim voluit Christus ire cor- « poraliter, ut amoveret ab eo falsam æstimatio- « nem, quæ putabat ipsum posse sanare tantum « præsentia corporali. »

Filius tuus vivit.

2. — Rupertus Abbas ait : « Hoc unum idemque « dictum et vera de presentibus prophetia et im- « perium vitæ est. »

3. — Dionysius Carthusianus hæc verba de corpo- ris pariter et animæ vitæ intelligenda esse dicit, ut sit sensus : « *Filius tuus vivit* vitæ naturali et « convenienti, imo et vitæ gratiæ. »

4. — Cajetanus observat, Christum non dixisse in tempore futuro, *vivet*; sed in presenti, *vivit* : « Non dicit : *Vivet*, sed *vivit*, ut presentia potentia

« ejus in Caparnanum, in lectum ægritudinis filii « significetur; minusque dicit, quam significet, « nam dicit, *vivit*, et significat, sanus est. »

5. — Lucas Brugensis hujus boni patris supplicam duo in se capita comprehendisse observat; quorum primum erat, ut personaliter in domum ejus descenderet, secundum vero, ut agonizanti filio redderet sanitatem : « Prius negat, dicendo : « *Vade*, ne, si annueret, et cum regulo descen- « deret, pravam illius opinionem firmaret, existi- « mantis, ipsi Jesu ad sanandum opus esse presen- « tia; alterum concedit, dicendo : *Filius tuus vivit*, » utramque vero ingens beneficium existit, quia etiam primæ petitionis negatio, gratia fuit et qui- dem incomparabiliter major quam secunda. Pergit idem auctor et dicit : « His verbis non tantum re- « velat, quomodo agatur cum filio ipsius longe « absente, verum etiam facit id, quod dicit, et « summa cum majestate, quæ a nullo alio depen- « deret. » Toletus nos ad admirandam Verbi incarna- ti sapientiam et benignitatem his verbis invitat : « Perpende sapientiam Christi, si descenderit et « sanasset, adhuc reguli fides infirma mansisset, « credidisset enim, sua presentia illum sanasse, « neque tamen potuisset absentem sanare; porro si « non sanasset nec descendisset, quam conceperat « fidem amisisset : sanæ ergo, ne modicam, quam « habebat fidem, amittit; non autem descendit, « ut fides ejus perficiatur, credatque etiam absen- « tem sanare potuisset, et hæc via, et morbo filii, et « patris infidelitatis medetur. »

6. — Christus Dominus occasionem habens, ut regulo huic, ob modicam ejus fidem qua ipsum non Deum, sed hominem agnoscebat, nec non ob contumaciam, in non confitendo errore suo pro adhibitam illi reprehensionem, graviter indignaretur, id tamen facere omittit, quia potius omnibus illis defectibus per divinarum gratiarum suarum abundantiam respondet, siquidem moribundo salu- tem confert; ipsi vero filio et omnibus numerosæ familie suæ, qualem ipsum utpote amplissimæ ci- vilitatis gubernatorem et virum in dignitate positum habuisse verisimile est, salutem æternam clemen- ter contulit, siquidem sacre textus dicit : *Credidit ipse et domus ejus tota*; unde Cyrillus Alexandrinus ait : « Nostram imperitiam Christus non rejicit, « quin peccantes etiam beneficis afficit ut Deus. »

7. — Cardinalis Toletus considerat, quod, ex quo ad sanandam spirituales patris infirmitatem, Chris- tus reprehensionem suam nihil profecisse vidit, aliud remedium adhibendum esse censuerit : « Cle- « mentissimus humane salutis medicus, » inquit, « oblatum medicamentum nihil profecisse videns, « alterum adhibet et quem reprehensionem non « sanavit, beneficio convertit; » enimvero tametsi prima facie videri possit, verba illa : *Filius tuus vivit*, in singulari numero de filio intelligi, nihilo-

minus licet pater et filius una et eadem persona censeantur, illorum se virtus ad ambos patrem scilicet et filium transfundit; unde Toletus egregium pro Prælati elicit dogma: « Exemplum iis, qui salutis animarum curam gerunt, præbet, ut multis ac variis modis hominem alliciant. »

8. — Regulus solam filii sui sanitatem postulaverat, Salvator autem insuper tam ipsi, quam toti familie ejus, salutem æternam indulxit: « Quia abundantia pietatis suæ, merita supplicum excedit et vota; » similiter quando ob filii sui agniam, domum suam susque deque vendendam; seque per asperam Christi reprehensionem ab eodem penitus repudiatum censere poterat, majoribus se favoribus et gratiis præventum et in summo prosperitatis apice sublimatum conspici; siquidem *credidit ipse et domus ejus*; unde Salmeron ait: « Etsi durissimis verbis objurgaverit regulum, prestat tamen, quod rogavit, cum iratus « fuerit, misericordie recordatur. » Josephus Hebræus refert, cum Philo Judæorum legatus, a Caio Imperatore cum surore rejectus fuisset, ipse ad ad suos conversus dixerit: « Nos oportet honore animo esse, quando Cain iratus est, nunc enim « Deus nobis contra illum aderit. » Simili modo, quando in Davidem, persecutionum et adversitatum sagittæ copiosissime immittebantur, tunc ille divinam manum in sui defensionem quam maxime propriam sibi futuram esse sperabat, *Psal. xxxvii, 3: Sagittæ tuæ infusæ sunt mihi et confirmasti super me manum tuam.*

Credidit homo.

9. — Dionysius Carthusianus vocabulum homo ponderans, scribit: « Jam merito regulus appellatur homo, id est, rationaliter agens, cum credit Christo et voci ejus obedit, eundo non solum « gressibus corporis, sed et mentis profectu ab imperfecta fide ad perfectam proficiens. »

10. — Hugo Cardinalis ait: « Jam incipit eredere, quod sermone sanet et sic meruit ille salutem filio; » citat tamen auctoritatem D. Chrysostomi et S. Augustini existimantium, quod nec tunc quidem fidem perfectam habuerit; siquidem paulo post scire voluit horam recuperate salutis: « Scrutatus est horam, utrum a casu, vel ab ipso Jesu facta sit sanitas, sed tamen ibat confidens, et quod sanatus esset filius, libenter enim credit homo, dum sibi dicitur quod cupit. »

Sermoni, quem dixit ei Jesus.

11. — Toletus declarat, quo modo crediderit, sensum horum verborum: *Credidit sermoni, examinando; dicit enim: « Advertendum, hunc hominem « credidisse quidem sermoni Christi quod vera narrant, non tamen quod ipse causa esset sanitatis, « et sanum fecisset tali verbo filium, sed quasi*

« annuntiasset salutem filii, et incolumitatem futuram, ut solemus dicere de infirmo: erit salvus, et non morietur. »

12. — Cajetanus pariter hanc a regulo obtentam gratiam non merito fidei ipsius attribuit, sed illam ei sine merito collatam fuisse censet, sicut et donum fidei et notitiæ Christi: « Quamvis immeritus concessus est non solum beneficium sanitatis filio, « sed donum fidei sibi ipsi. »

13. — Salmeron Christi notat liberalitatem, qua beneficiando nobis superabundat: « Plus dedit, « quam peteretur; dedit enim sanitatem filio in « absentia et fidem patri; » quam eandem Glossam S. Cyrillus Alexandrinus diu ante tradiderat dicens: « Salvatoris mandatum duas salvat animas; in regulo quidem insolitam fidem operatur et ex corpore morte adolescentulum eripit; » moxque dubium movet, uter eorum primus beneficium acceperit, an pater, an filius? « Uter autem prior « sanetur, difficile dictum est; » ambo enim, ut reor, eodem tempore, Salvatoris nostri jussu, morbo soluto sanari fuerunt.

14. — Salmeron efficaciam stupet sermonis divini, inquiens: « Uno verbo sanavit patrem et « filium; » quæ vox ut suam operaretur efficaciam et virtutem, regulas aures aperit, sed cordis potissimum, ut namque S. Joannes inquit: *Credidit homo sermoni, quem dixit ei Jesus.* Neque enim Deum ad cor nostrum loqui sufficit, nisi nos illud ei loquenti ex parte nostra aperiamus. De Lydia in Actibus Apostolicis, xx, 41, legitur, quod sonora illa Spiritus Sancti tuba insonante: *Quædam mulier nomine Lydia, colens Deum audivit, cuius Dominus aperuit cor, intendere his, quæ dicebantur a Paulo; cum autem baptizata esset; ecce tibi fructum quem illa perceperit, dum verbum divinam a S. Paulo prædicatum auscultavit, eique fidem præbuit, inde enim baptismus ejus consentus fuit.* Similiter in casu nostro observandum est, quod fides, quam regulus verbo Dei adhibuit, suam, filii, et totius domus conversionem reportavit: *Credidit ipse et domus ejus tota.* Evidentissimum namque predestinationis nostre signum est, si verbum Dei prono et cupido animo auscultemus: *Qui ex Deo est, verba Dei audit.*

15. — Joannis, *cap. v, 21, 23*, Verbum incarnatum protestatur dicens: *Sicut pater suscitavit mortuos, et vivificavit, sic et filius quos vult, vivificat. Amen, amen, dico vobis, quia qui verbum meum audit, et credit ei, habet vitam æternam; sic enim verbum Christi moribundo filio sanitatem perfectam restituit et universæ hujus Principis aule vitam contulit et salutem æternam. *Credidit ipse et domus ejus tota.* Hanc divinæ vocis efficaciam Centurio illo Capharnaïta bene intellexit, ideo Christum, ad servum ejus sanandum personaliter recipere volentem, moratus est se opponendo et dicendo: *Dic tantum verbo et sanabitur puer meus.* Cornelius a Lapide hoc servi*

Centurionis miraculum, post sanatum reguli filium accidisse opinatur, ideoque ipsum eorum, quæ regulo in hac occasione acciderunt perfectam habuisse notitiam, verisimile esse dicit. Cum igitur Seneca tradat: « Felix sapientia, quæ ex aliorum insipientia dicitur, » credibile est, Centurionem, cognito reguli errore, prudenter dixisse ad Christum, quod etiam procul solo verbo, unico voluntatis actu, sanare posset absens, proindeque minime necessarium esse, ut laboriose se in ades ejus reciperet, ejus se præsentia indignum judicabat.

Et ibat.

16. — S. Antonius de Padua ex hoc verbulo sequens elicit documentum morale: « Nota, quod « prius dicit, *credidit*, et postea *ibat*, quia prius est « corde credere et postea ire opere; » significat autem iter istud continuum in virtutibus progressum, juxta quod scriptum est, *Psal. lxxxiii, 7: Ibat de virtute in virtutem;* et Apostolus pariter suos neophytos Ephesios, lumine Evangelii illustratos, commonefacit, dum ait, *Eph., v, 8: Eratis aliquando tenebræ, nunc autem lux in Domino, ut filii lucis ambulate; fructus enim lucis est in omni bonitate et justitia et veritate.*

Additiones.

a. — *Vade, filius tuus vivit.* Personant passim Scripturæ, ut pudor sit, loca referre, nemini non nota, in quibus Christus dicitur humanarum ægritudinum, præsertim peccati, quod lethalis morbus est, et tanto medico indiget, curatur. Æstuet licet in anima fervor irarum, licet ardeat avaritiæ et invidiæ febris, etsi luxuriæ flamma imas depascatur medullas, et mortis periculo demergatur homo, peritus animarum sanator Christus Jesus, levis tactus et vel unius rationalis verbali pharmaco sistit ægritudines, et remedia facit immedicabili morbo. Pulchre Clemens Alexandrinus, *l. I Pædag., cap. ii, fatur: « Verbum paternum solus est humanarum ægritudinum pæonius medicus et sanctus « ægrotæ animæ incantator. »* Dicitur ergo Christus pæonius medicus, id est, medicus adeo peritus arte et ratione medendi, ut arroganter superbiim, inestimam invidiam, incredulitatem, etc., quæ sunt demonum vitia, imo mortiferam lasciviam incendium, quod hic juvenis obumbrat, et cæteras animi pestes, et corporis contagia, efficacissimo pharmaco, uno scilicet verbo rationali curet. Saluberrima enim medicina ad salvandas animas verbum Dei est.

Salomon in libro Sapientie, *xvi, 11, 12*, hanc memorat verbi Dei specialissimam virtutem, quod scilicet animabus infirmis afferat salutem. En verba ipsius: *In memoria sermonum tuorum externabuntur, et velociter sababuntur, ne in altam incidentes obdionem, non possent tuo uti adjutorio. Et enim neque herba, neque malagma sanavit eos, sed tuus,*

Domine, sermo qui sanat omnia. Et ideo S. Petrus cælesti Magistro suo dixit: *Verba vitæ æternæ habes.* Porro vulnera, indispositiones et morbi animæ, vita sunt, peccata et inordinatæ passiones illius; quibus curandis Deus divinum verbum suum velut antidotum et medicum providit. Idem Sapiens, in capite vii ejusdem libri, ait: *Multitudo sapientum sanitas orbis terrarum.* Per hos autem sapientes, Albertus Magnus Prædicatores Evangelicos intelligit, inquiens: « Multitudo sapientum, hoc est multitudo Prædicatorum. » Quod si quis multorum fidelium penetrare posset conscientias, eas utique pro majori parte misere infectas, magnoque remedio indigentes inveniret. Salvator autem noster, quando impiorum conversioni, pro divinam vocem suam, procurandæ erat intentus, medico cuiusdam se comparavit. Proprium autem est medicorum, mala, complexionem, vires, habitudines eorum, quos curandos habent, prudenter discernere, ac demum remedia convenientia adaptare. Idem pariter observandum est a spirituali infirmarum animarum medico. Debet enim unicusque, juxta particularem ejusque indigentiam, convenientia et proportionata subministrare documenta.

S. Bonaventura, super illa verba Psalmistæ, *Psal. cxviii, 9: Ut custodiam sermones tuos, egregias quasdam a verbo Dei dimanantes recenset utilitates, inquiens: « Sermones Domini libenter audire « debemus propter tres speciales effectus, utpote « que sanant, vim scilicet concupiscibilem; illa « minant, vim scilicet rationalem; arman, vim « scilicet irascibilem. » Ubi observandum est, quod effectui sanativo primum locum attribuit.*

b. — Theophylactus hæc verba: *Vade, filius tuus vivit*, exponens, ait: « Vide quid dicat ad illum « Dominus: *Vade, filius tuus vivit;* hoc est, ne sis « immobilis ad bonum, sed vade, incessabilem « motionem ostende ad bonum, tunc enim filius « tuus vivet. Si autem quieveris, non ambulans, « morietur plane mens tua, eo quod ad bonum « te non promoveris. » Jubet Dominus eum ire, hoc est, ab imperfecta fide ad bonam, et consummatam fidem. In via enim virtutis Christiano nulla meta contuenda est, sed semper de die in diem in virtutibus ultra progrediendum. Inter alias beatitudines, hæc quoque recensetur: *Beati qui esuriant, et sitiunt justitiam.* Clarum est autem quod nomine justitiæ, in multis Scripturæ locis perfectio, omnique virtutis professio intelligatur. Ac proinde Christus illos specialiter nominat beatos, qui magna cum aviditate, quotidie magis magisque sancti fieri desiderant. Et vero hæc beatitudo, ut S. Bernardus observat, valde convenit cum illo quod Sapiens ait: *Qui edit me, adhuc esuriet, et qui bibit me, adhuc sitiet.* Salvator noster non ait: *Beati, qui esuriant humilitatem, obedientiam, castitatem; sed: Qui esuriant justitiam;* quia a nobis non unam

duntaxat virtutem, sed omnium virtutum cumulom desiderat. Præterea notandum est, Christum non dicere: *Beati qui edunt*, sed: *Qui esuriunt*; quia hæc est differentia inter famem alienius cibi, et inter cibum quem de facto deglutivimus, quod hic nobiscum uniat, fiatque nobiscum una et eadem res, cum tamen fames solum sit appetitus quidam et desiderium cibi. Deus autem optime novit quod ob fragilitatem nostram, admodum sit nobis difficile animam nostram cum omnibus virtutibus unire, ac proinde hoc nequaquam nobis præcipit, sed solum a nobis desiderium acquirendæ virtutis requirit; vultque ut idem adhibeamus studium, in ordine ad profectum in virtutibus, quod in procurandum corpori nostro cibum adhibemus. Ac proinde sicut hunc in finem quotidie magnam diligentiam adhibemus, ita quoque a nobis requirit ut in actibus virtuosis et perfectis, nos continuo exerceamus.

VERSUS 51.

Jam autem eo descendente servi occurrerunt ei, et nuntiaverunt dicentes, quia filius ejus viveret.

1. — Dionysius Carthusianus hujus servorum occursum perpendens, motiva eorum tria statuit; primo, ut dominum suum optato hoc nuntio recrearent: « *Servi quippe optantes amari a dominis suis, libenter annuntiant læta et prospera;* » secundo, ut molestias in domino mitigarent itineris, accelerata filii recuperatæ salutis insinuatione; tertio, juxta Origenis traditionem: « *Quoniam filio jam sanato, putabant Christi presentiam superfluum, quem cum regulo putabant venturum.* »

2. — S. Antonius Paduanus sensum spirituale secutus, ait: « *Si descendis, occurrunt tibi servi; nota ista tria; ipso descendente occurrunt servi et nuntiant vitam filii; bonum ergo est descendere, a quo? a monte; quo? in vallem, a superbia in humilitatem.* » Deinde quinam sint hi domino suo occurrentes servi, examinans, eos denominat sensus nostros, qui rationi subesse tenentur: « *Occurrerunt servi,* » inquit, « *qui sunt corporis sensus, qui rationi debent servire; si descendis, a servi tibi occurrunt, id est, obediunt; si enim a cor est humile, sensus corporis sunt obediētes, a ex humilitate oritur obediētia.* »

VERSUS 52.

Interrogabat ergo horam ab eis, in qua melius habuerit, et dixerunt ei: Quia heri hora septima reliquit eum febris.

Interrogabat ergo horam ab eis, in qua melius habuerit.

1. — Lucas Brugensis hanc reguli interrogationem nequaquam ex fidei defectu præcessisse opi-

natur, inquit: « *Voluit horam scire non ex incredibilitate, sed ex officio grati hominis, ut certior fieret, an Jesus annuntiasset; fuerat enim sermo Jesus anceps, ne dubitationi ultra relinqueretur locus, casu ne an natura, non vero virtute Jesu puer revaluisset.* »

2. — Euthymius notat, quod, licet juxta Evangelistam regulus credidisse dicatur: *Credidit homo sermone, quem dixit ei Jesus*, necdum tamen fidei perfectionem attingisse scribitur: « *Nondum tamen recte credebat et hoc manifestum est, eo quod interrogaverit, quando ægotantem reliquisset febris; volebat namque discere, utrum casu, an Christi jussu hoc factum esset.* »

3. — Rupertus Abbas hæc verba ita interpretatur: « *Videlicet scire cupiebat, utrum eodem verbo, quo dixerat ei Jesus: Filius tuus vivit, eodem, inquam verbo virtutis suæ salutem portasset, ut ad filium febre fugata tam cito rediret.* »

Et dixerunt ei: Quia heri hora septima.

4. — Albertus Magnus supra S. Joannis textum scribens, hanc ipsam horam cæteris periculosiorum fuisse tradit, utpote in qua infirmi assolent plerumque laborare deterius: « *Quæ hora proxima est a post meridiem,* » inquit, « *hora quidem, in qua omnis æger pejus habere incipit secundum naturam, quia tunc sol a summo cœli incipit inclinare et cum declinatione solis omnis virtus ægri incipit cadere et declinare.* » Notanter igitur in hujus temporis circumstantia Christus desperatam filii salutem restituere voluit, ad docendam nos, celestem hunc protomedicum tunc nobis vel maxime vicinum esse, quando omni penitus destitutum auxilio humano, quis obscuro unquam præsumere potuisset, in gratiam recipiendos Mariam Magdalenam, Mattheum publicanum, Paulum persecutorem, Augustinum, latronem in cruce, totque innumeros alios, tunc præsertim, quando nulla superesse videbatur salutis apparentia?

5. — Idem quoque Albertus in quodam hujus Evangelii sermone, sequentem tradit prædictorum verborum Glossam: « *Ad curationem seu sanationem spiritus sive animæ per peccatum in peccatum infirmatæ, septem horæ requiruntur: Prima hora est, quod homo recognoscat, quod a Deo sit creatus; secunda, quod etiam sciat, ad quid sit creatus; tertia, quod recolat, quæ a suo Creatore mandata acceperit; quarta est, ut videat si contra aliquid mandatum peccaverit; quinta est, ut peccata utpote vitia detestetur; sexta, ut futuri judicii attentio memoretur; septima, ut pro peccatis suis intime doleat et conteratur.* »

6. — S. Bonaventura in septem illis horis septem intelligit Spiritus Sancti dona, inquit: « *In figura septiformis Spiritus, a quo est omnis salus.* »

7. — S. Thomas pariter numeri septenarii mysterium perpendens, eandem cum S. Bonaventura doctrinam adducit, dum ait: « *Mystice per horam septimam, in qua puer a febre dimittitur, significantur septem dona Spiritus Sancti, per quæ fit remissio peccatorum; etiam per horam septimam significatur tempus quieti conveniens; nam Dominus septimo die ab omni opere requievit, quod patravit, in quo significatur, quod vita spiritualis hominis in quiete spirituali consistit.* »

8. — Hugo denique Cardinalis has septem horas septenis applicat mundi considerationibus, dicens: « *Septem horæ septem mundi considerationes; prima est consideratio brevitatis, secunda mutabilitatis, tertia infidelitatis, quarta dolositatis, quinta malignitatis, sexta quod tibi adversatur, septima quod tibi inimicatur.* »

Reliquit eum febris.

9. — S. Bonaventura per hanc febrem peccatum interpretatur, inquit: « *Per febrem, in qua est successio caloris et frigoris, significatur peccatum, quod gignitur ex timore male humiliante et ex amore male inflammante.* » Ab hac febre genus humanum omni remedio destitutum, hora septima feliciter convalescit, quia Redemptor noster hora sexta in crucem suffixus fuit, in coque patibulo tribus horis, priusquam expiraret, agonizans hæsit, adeoque hora septima, quando cum clamore valido et lacrymis exauditis est pro suo reverentia, Hebr., v, 7, reliquit eum febris, tunc enim peccatum abolitum, nostrumque debitum per divinam justitiam litura perpetua deletum fuit.

VERSUS 55.

Cognovit ergo pater, quia illa hora erat, in qua dixit ei Jesus: Filius tuus vivit; et credidit ipse, et domus ejus tota.

Cognovit ergo pater, quia illa hora erat, in qua, etc.

1. — Exactissime regulus hic horam notavit, in qua ei a Salvatore dictum fuerat: *Vade, filius tuus vivit*, id quod Rupertus Abbas observat, inquit: « *Diligenti memoria lenebat ex industria notatam horam, quæ ei dixit Jesus: Filius tuus vivit.* » Utinam et nos memores essemus beneficiorum, quæ a Deo quotidie recipimus, maxime nunc, quando illa plurimum demeremur; et aliud nihili cogitamus, quam quod in ejus offensam cedit, quodque in poenam transgressionis justum Dei super nos supplicium, cum adjuncta corporis, animæ, honoris et famæ iactura provocare merito deberet; et tamen Deus erga nos adeo est misericors, ut nos tunc defendat, a periculis eripiat, suamque nobis manum porrigat, ut ad penitentiam surgere valeamus, quæ profecto consideratio calcare nobis addere deberet, ad firmius

II.

in Deum credendum, majori cum fervore et innocentia ei inserviendum.

2. — Albertus Magnus, in Joann., in sensu spirituali mysteria explicat miraculose hujus restitutæ sanitatis, dum ait: « *Regulus iste mens sive ratio est, filius autem spiritus in carne, sanus ardor a fomitibus et concupiscentiis; hunc sanat Dominus interpellantibus sanctis, qui paterno affectu ægrotum diligunt, Jer., xvii, 14: Sana me, Domine, et sanabor, saluum me fac, et saluus ero; servi occurrentes sunt viri sancti et Ecclesiæ ministri, de salute animarum gaudentes.* »

3. — Potest etiam ex verbo cognovit deduci, regulum non habuisse notitiam Christi imperfectam, sed per seriam reflexionem et divinitatis Christi et beneficii ab eo recepti, quod maximum erat quod ab eo sperare poterat, nimirum vita filii, suaque et totius familie salutis æterna, meditationem bene ab eo exercitam, Joann., xvii, 3: Hæc est autem vita æterna, ut cognoscant te solum Deum verum, et quem misisti Jesum Christum.

4. — Enimvero credibile est, lumen a Christo ei infusum permagnam fuisse; siquidem Christus de se ait: *Ego sum lux mundi; lux vera, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum*; et ratio est, quia lumen hoc ei infusum fuit, non modo ad depellendas tenebras infidelitatis ipsis, sed et totius familie; siquidem credidit ipse, et domus ejus tota. Ecce, quousque hujus principis et quoad divitias et quoad honores prospere agentis fortuna, Deum cognoscendo ascenderit, Jer., ix, 23: Non gloriatur sapiens in sapientia sua, non gloriatur fortis in fortitudine sua et non gloriatur dives in divitiis suis, sed in hoc gloriatur, qui gloriatur: scire et nosse me.

Et credidit.

5. — Fidem, quæ donum Dei est, a Christo huic regulo et omnibus ad familiarum ejus spectantibus, datam esse scimus, non tamen constat, illius quoque participes factos fuisse cives Caparnaitas, quorum ipse dominum habebat, quia ut Glossa notat: « *Credidit ipse*, non alii cives; in quo paucitas fidei Judæorum designatur, quamvis signa viderint, sicut supra multitudine gentium solo verbo comvertendarum in Samaritanis signabatur; » etiam ad unum mundanæ tantum et peccatriciæ mulieris verbum extendere commoveatur civitas et in Christum credit, cum tamen hic, viso tam præclaro miraculo, in persona tam conspicua edito, vix una tantum familia ad Dei notitiam perducitur; ubi, ut S. Remigius ait: « *Signabatur, quod paucitas Judæorum credituri erant in Deum.* »

6. — Porro regulus iste ad credendum in Christum efficacissima habebat motiva; siquidem, ut Rupertus Abbas observat: « *Non signum hoc parvum fuit, per quod se ubique esse, ubique posse*

« et sola voluntate cuncta perficere; satis evidenter ostendit. » Quails autem hæc ejus fides fuerit, Lucas Brugensis hæc verbis declarat: « Credidit scilicet filium suum abs Jesu absente, solo sermone fuisse sanatum, ac proinde Jesum esse Filium Dei; credidit plane et perfecte, se professus est discipulum Jesu, qui ejus Evangelio ac doctrinæ nomen dedit. »

7. — Chrysostomus, *Hom. xxxv in Joan.*, hoc loco multorum observat commoda sua spectantium devotionem, qui nimirum in divinorum præceptorum adimplentione tunc vel maxime se ferventes exhibent, quando ab infirmitatibus vel aliis adversis infestati, divinam in se benignitatem et clementiam experiuntur. De quibus proinde dicit: « Non expectanda miracula, neque divinæ virtutis pignora efflagitanda; video enim et nunc multos, cum in a filii vel uxoris morbo exaudiuntur, tunc majorem Deo exhibere reverentiam; decens autem est etiam non exauditos tolerare et nihilominus gratias habere, eamque laudibus prosequi, hoc fideliū servorum est, hoc constantiæ, hoc pietatis, hoc in Dominum affectu esse debemus, ut non solum, cum clementer nobiscum agit, verum etiam cum indignatur, cum flagellat, ad eum percurramus, hoc enim divina operatur providentia, siquidem quem diligit, castigat; qui autem, dum voluit assequitur, Deum colit tantum, non multa præsefert dilectionis argumenta, neque sincere Christum amat. »

8. — Venerabilis Beda gradus considerat, quibus hic regulus in fide sua paulatim altius ascenderit, dicit enim: « Datur intelligi et in fide gradus esse, sicut in aliis virtutibus, quibus est initium, incrementum, atque perfectio; » etenim hic regulus initium fidei habuit, quando Christum de infirmitate filii sui informans, ei pro hujus salute supplex factus fuit, progressum autem et augmentum habuit, quando verbis Christi, dicens: *Vade, filius tuus vivit*, protinus fidem adhibuit: *Credidit homo sermonem quem dixit Jesus*; perfectiorem vero fidem acquisivit, quando per suorum servorum relationem, in iis que credidit et speravit, confirmatus fuit.

Et domus ejus tota.

9. — Ecce quantum, bonum capitis exemplum, emolumentum creet, quantumque bona patrisfamilias opera consequentiam secum inducant; nam S. Hieronymus ait: « Regulus non solum filii, sed universæ domus suæ reperit sanitatem. Vide, quanti referat majorum fides cum bonis conjuncta moribus, inferiores enim eos facile sequuntur. » Lucas Brugensis ex dignitate et imperio, quod regulus in civitatem adeo insignem obtinebat, ipsam quoque copiosam refert habuisse familiam: « Familiam ejus frequentem ac numero-

« sam fuisse haud dubium est, utpote hominis opulenti et magistratu fungentis, constantem in servis et ancillis plurimis præter uxorem et liberos, » motum vero, cur hi omnes jugo se legis Evangelicæ subjecerint, sequæ Christi sequela manciparint, bonum heri exemplum fuisse dicit: « Crederunt, » inquit, « persuasione atque exemplo « heri. »

10. — S. Thomas pariter super hunc S. Joannis textum et præcipue super illa verba: *Et domus ejus tota*, dicit: « Servi et ministri secundum dominorum conditionem, sive bonam, sive malam disponunt. »

11. — Ex eo porro, quod juxta Lucæ Brugensis expositionem diximus, regulum omnes, quotquot in familia sua habebat, adhortatum fuisse patet; ipsorumque de bono illius regimine magnam sollicitudinem verisimile est, cum Apostolus, *1 Tim.*, v, 8, dicit: *Si quis suorum et maxime domesticorum curam non habet, fidem negavit et est infidelis deterior*; et quidem, quia hic regulus bonum domesticorum suorum ordinem pro viribus anxie curavit; ecce tibi qualiter omnibus ad familiam suam pertinentibus fidei donum inerat fuit; siquidem credidit ipse et domus ejus tota. Ubi notandum est vocabulum *tota*, ex eo namque colligitur, sermones ejus et præcipue bonum illius exemplum, maximam in se habuisse ad persuadendum efficaciam et energiam, in tanto enim numero nullus superfluit, qui novam a se susceptam fidem et religionem non fuerit amplexatus.

12. — Porro, de hac infirmitate idem dici potuit, quod Salvator de Lazari ægritudine dixit, *Joan.*, xi: *Infirmitas hæc non est ad mortem, sed pro gloria Dei*; nam ut Toletus scribit: « Non est silentio prætereundum, quantum mundi homines decipiuntur in judicio rerum; quis non credidisset, quando filium regali infirmatum usque ad mortem vidisset, male actum esse cum filio et cum patre? et tamen infirmatur filius usque ad mortem divino consilio, ut occasio potioris salutis heret familiæ universæ. » In hac occasione dicere possumus, adimpletum fuisse illud regii Vatis, *Psal.*, xxxvii, 7: *Si ambulavero in medio tribulationis, vivificabis me*; quamdiu enim in tota illa domo sanitas erat, mortem in ea prævaluisse dici potest, quia tunc ibi dæmon adorabatur in falsis simulacris, nec minimum celestis luminis vestigium ibi collucebat; at vero quamprimum in eam filii infirmitas et afflictio patris subingressa fuit, tunc sumpto ad Filium Dei refugio, omnes receperunt vitam æternam. Unde S. Augustinus super prædicta Psalmi verba dicit: « Nunc sic ait, tanquam si diceret: Si forte venerit tribulatio aliqua, liberabis inde me; sed quomodo? Si ambulavero in medio tribulationis, vivificabis me; id est, aliter non vivificabis me, nisi in medio tribulationis; » major pars

generis humani, si Deus illum in felicitatem et prosperitatem terrenarum medio nasci fecisset, in æternum utique periculata fuisset: *Quis inersatus, impinguitus, dilatatus homo dereliquisset Deum factorem suum et recessisset a Deo salutari suo. Deut.*, xxxii, 15.

13. — Joannis *cap.* v, 3, in probatica illa piscina innumerabiles languidi reclini fuisse dicuntur: *Multitudo magna languentium, exarum, claudorum, aridorum*; semel tantum in anno in aquas illas Angelus quidam de celo descendebat, dabatque sanitatem uni tantum, et non pluribus. Porro magnum hoc hospitale, mundum hunc, in quo tot sunt infirmi, prefigurabat; in eo namque circumderant nos mala, quorum non est numerus; per Angelum vero qui miseris his subsidium præstiturus descendebat, Filium Dei intelligere possumus, qui in Scriptura *magni consilii Angelus* vocatur, esque protomedicus ille celestis, qui de semetipso ait: *Non est opus valentibus medicus, sed male habentibus; non veni vocare justos, sed peccatores*. At vero, quod in eo lateat mysterium, quod, cum Dominus noster in gratiarum suarum dispensatione adeo est liberalis, hic nihilominus adeo fuerit parvus, ut ex ingenti illa multitudine, per Angeli cœlitus missi auxilium, non nisi micam liberaret? ad hæc, cur is, qui vera vita erat, eo ingrediens uni tantum sanitatem restituit? Ad hoc aliud responderi nequit, quam quod Deus primo loco animæ et postea corporis saluti consulere intendat, sicut in sanato illo paralytico videre licuit, qui prius peccata remisit; certum est autem, quod salus spiritualis facilius et majori cum securitate in tribulationibus, quam in prosperitate temporali conservetur: « Aliter non vivificabis me, nisi in medio tribulationis. » Quotidiana nos experientia docet, quod dum sani sumus, bonisque hujus vite felicitate fruimur, parum Dei et alterius vite memores simus, non vero item quando lecto affligimur, ideoque multo doloribus cruciamur; *Psal.*, cvi, 6: *Clamaverunt ad Dominum, cum tribularentur*. In Osea, vi, 1, Deus ita loquitur: *In tribulatione sua nunc consurgens ad me: venite, et revertamur ad Dominum; percutiet et curabit nos, et vivificabit*; sed quis est hic salutem per verbera et vulnera restituenti modus? Est hic stylus Dei, quo sæpe numero nobiscum agere solet, quod corpus lethalius infirmitatibus percutiat, gravia nobis evenire infortunia et infligi vulnera permittat, ut animæ salutem tribuat; in Hebræo dictio aliqua continetur, quæ idem significat, quod vulnera fascibus alligare, ratione cujus S. Hieronymus inquit: « Appellatur linteola, quæ inseruntur vulneribus, ut putidas carnes comedant. » Ad sanandum namque putridam carnem nostram, ad inordinatos appetitus frenandos, sæpe sæpius percutit et vulnerat, quemadmodum boni chirurgi, de

quibus S. Augustinus, in *Psal.* l, scribit: « Armant se, ut feriant; ferrum gestant, et curare veniunt; » ferro plagam aperiunt, venam incidunt, ut sanguinem eliciant, qui nisi effunderetur, vitam infallibiliter patiens amitteret; ita pariter indecipienti divina Providentia permittente, hic et ille ad gloriam prædestinatus, in paupertatem incidit, omniumque bonorum temporalium, quæ vitiorum fomentum fuerant, jacturam patitur; unde S. Hieronymus inquit: « Percutit nos Dominus, et curat nos, quia quem diligit, corripit, » Tertullianus ad propositum præsens, chirurgum titidem nobis ob oculos ponit, tenentem in manu ferrum, infirmique carnes, nulla sletuum et lamentorum habita ratione, incidentem: « Sicut enim in tali perversitas, » inquit, « quam putas, ratio est, quod sevitiam existimas, gratia est, quia Deo de momentanea æterna mediante, magnifica bono tuo Deum, incidisti in manus ejus, sed felicitate incidisti. » Iterum sicut pessimum gravissima sanitatis indicium est, quando permittitur æger edere quod vult, et facere quod libet, ita perterit Deus nobis laxato freno permittit, ut ductum sequamur inordinatorum appetituum nostrorum, manifestum desperatæ salutis signum est: *Dimisi eos secundum desideria cordis eorum, ibunt in adinventiōibus suis*. Eodem quoque argumento S. Petrus Damianus utitur ostendendo, medicum bonum, ut perfectam languenti infirmitatem restituat amaras in finem usque potiones et medicinas adhibere; proinde de hujusmodi medicis inquit: « Quos erigendos esse conjunctum, cuncta eis noxia detectionis edulia minaciter interdiciunt, antidota insuper amara propinant, ut per amaritudinis haustum ad incolumitatis dulcedinem convalescant. » S. denique Cyprianus eandem cum Tertulliano similitudinem adducit alicujus corporaliter infirmi, quia chirurgo et medico severe admodum tractatur, sanitatis restituendæ intuitu, nec illi ullis ægri lamentis ut recedant, se ipse permittunt: « Vociferetur, » inquit, « et clamet licet et conqueratur, æger impatiens per dolorem, gratias agat postmodum, cum senseri sanitatem. »

Additio.

a. — *Credidit ipse et domus ejus tota*. Super his verbis sic Ammonius ait: « Primum quidem credidit, sed postea reipsa factum comperit, quod futurum crediderat; plurimum namque fides valet, cum effectorem ac consummatorem sui habet Deum. » Et ideo eadem hora quia credidit, fructum suæ fidei consecutus est. Una die credidit et altera agnovit filium suum, atque universam suam domum ad Christum perduxit. Nescivit enim sola esse ejus fides; sed adeo faciunda fuit, ut de illius exemplo famularum omnium examina renasceretur Christo. Qui enim accedit ad Deum, et credit,

statim fidei suæ fructu gaudet, et exultat. Fiducia enim, quæ in Deum potius quam in nostram industriam habetur, a Deo liberaliter compensatur, maxime quoad illos qui hanc fiduciam cum bona conscientia habent conjunctam.

Notum est miraculum illud, quod Saluator noster, in refectione devotarum turbarum illarum, ipsum per tres dies et noctes, sine ullo cibo indefesse sequentium, patravit. Porro Evangelista, *Luc.*, ix, 12, ait: *Loquebatur illis de regno Dei. Dies autem cæperat declinare; et accedentes duodecim, dixerunt illi: Dimitte turbas, ut euntes in castella, villasque quæ circa sunt, divertant et inveniant esens, quia hic*

in loco deserto sumus. Ait autem ad illos: Vos date illis manducare. At illi dixerunt: Non sunt nobis plus quam quinque panes et duo pisces. Erant autem fere viri quinque millia. Mirum vero non erat, quod Christus erga hæc devotas turbas adeo se beneficiis exhiberet; siquidem hæc turbæ Christo devote inservierant, in ejus sequela perseveraverant, prædicationem ejus assidue auscullarant, perque lassitudinem, vigiliis et famem, sese erga illum devotas esse probaverant. Ac proinde Christus ostendere voluit, eas ipsisque similes paterna sua providentia nequaquam fore defraudandas.

DOMINICA VIGESIMA PRIMA POST PENTECOSTEN

EVANGELIUM MATTHÆI, CAP. XVIII, VERS. 23

23. Assimilatum est regnum cælorum homini regi, qui voluit rationem ponere cum servis suis.

24. Et cum cœpisset rationem ponere, oblatum est ei unus, qui debebat ei decem millia talenta.

25. Cum autem non haberet, unde redderet, jussit eum dominus ejus venundari, et uxorem ejus, et filios, et omnia quæ habebat, et reddi.

26. Procidens autem servus ille, orabat eum dicens: Patientiam habe in me, et omnia reddam tibi.

27. Misertus autem dominus servi illius, dimisit eum et debitum dimisit ei.

28. Egressus autem servus ille, invenit unum de conservis suis, qui debebat ei centum denarios, et tenens suffocabat eum dicens: Redde quod debes.

29. Et procidens conservus ejus, rogabat eum dicens: Patientiam habe in me, et omnia reddam tibi.

30. Ille autem noluit, sed abiit, et misit eum in carcerem, donec redderet debitum.

31. Videntes autem conservi ejus quæ fiebant, contristati sunt valde; et venerunt et narraverunt domino suo omnia quæ facta fuerant.

32. Tunc vocavit illum dominus suus, et ait illi: Serve nequam, omne debitum dimisi tibi, quoniam rogasti me.

33. Nonne ergo oportuit et te misereri conservi tui, sicut et ego tui misertus sum?

34. Et iratus dominus ejus tradidit eum tortoribus, quoadusque redderet universum debitum.

35. Sic et Pater meus cælestis faciet vobis, si non remisistis unusquisque fratri suo, de cordibus vestris.

VERSUS 23.

Assimilatum est regnum cælorum homini regi, qui voluit rationem ponere cum servis suis.

1. — Christus præsentem parabolam, prout Lyranus advertit, ideo adduxit, ut S. Petro datam, immediate ante, de humanarum injuriarum indulgentia et remissione doctrinam confirmaret;

quando interroganti se Apostolo responderat: *Non dico tibi septies, sed septuagies septies*, in presenti igitur discursu instituit a minori ad majus; quasi diceret, inquit Lyranus: « Magis debitores estis Dei, et plus offendistis eum, quam homo possit offendere proximum, quia tanta est offensa, quantum ille, qui offendit. » Cum igitur Deus sit meriti et dignitatis infinitæ, proportionaliter etiam culpa contra eum admissa, gravitatem habe-

bit infinitam; hoc tamen non obstante, Deus semper promptissimus est, modo vero nos poeniteat omne delictum indulgere; quanto igitur justius, utidem et nos proximo nobis injurianti præstemus: « Ergo multo fortius similiter debemus peccanti « in nos facere. »

2. — Dionysius Carthusianus mystice per hunc regem, Christum intelligens, dicit: « Qui licet in die extremi judicii, nullum peccatum relinquat « inultum, nec tempus poenitentiae tribuat, tamen « quotidie ponit rationem cum fidelibus per vicarios « suos Prælatos, per Scripturarum admonitiones. » Hugo Cardinalis in hoc eodem judicio, quod in præsentî vita, examinatores in majori numero ponit, dum ait: « In præsentî ponit rationem « Dominus cum servis suis per Scripturas, per « creaturas, per doctores, per confessores, per illuminationem propriæ conscientiæ; » demum vero per hæc verba, Prælatos merito extimulandos esse dicit, ne animarum sibi commissarum studiosam negligant inquisitionem, juxta illum Sapientis textum, *Prov.*, xxvii, 23: *Diligenter agnosce vultum pecoris tui.*

3. — Venerabilis Beda ait: « Quis melius quam « Redemptor noster intelligitur, de quo Psalmista, « *Psal.* lxxi, 2: *Deus judicium tuum regi da?* » S. Antonius Paduanus per hanc rationum redditionem interpretatur judicium, quod tam in hac quam in altera vita de nobis instituetur: « Rationem « ponit, qui merita uniuscujusque examinat in hoc « mundo, quæ districtius trutinantur in futuro. » Salmeron hanc, quæ quoadusque vivimus a nobis exigitur, rationum redditionem individualius considerans, scribit: « Dicitur cœpisse rationem ponere « cum servis suis, ab initio inspirando beneficia « accepta, vel ingratum animum et scelera com- « missa increpando, sive huic inspirationi det locum « tribulatio cœlestis immissa, sive peculiare aliquod « et insigne beneficium. »

4. — S. Remigius, a S. Thoma citatus, per hos servos, omnes homines intelligit: « Designantur « omnes homines, quos ad laudandum se creavit, « quibusque legem naturæ dedit; cum quibus « rationem ponit, quando vitam, et mores, et « actus singulorum discutit, ut unicuique, secun- « dum quod gessit, tribuat. »

5. — S. Thomas per hos servos, Prælatos Ecclesiasticos, quibus animarum cura demandata est, intelligit, juxta illud *Luce*, xi, 41: *Fidelis servus, quem constituit Dominus super familiam suam*: « Quid est ergo rationem ponere de commissis, « nisi quod obligant se, ut rationem reddant? « *Hebr.*, xiii, 17: *Ipsi pervigilant quasi rationem « pro animabus vestris reddaturi.* »

6. — Ad hoc, ut homo, quoadusque vivit in perditionis barathrum non incidat, nullum est securius remedium, quam si examen rigorosissi-

mum, cuius tempus et horam quidem nescimus, non tamen qualitatem, quia « judex est venturus, « cuncta strictè discussurus, » quod de anima instituendum erit, ob oculos habeat. Dicitur cum servis suis, quia qui majori lumine et notitia Dei, tanquam servi illius illuminati sunt, majori cum severitate examinantur; nemo enim est, qui nesciat illa S. Gregorii verba: « Quo plus augen- « tur dona, rationes etiam crescant donorum; » et ideo Deus apud Ezechielem, ix, 6, inquit: *A sanctuario meo incipite.*

7. — Finis primarius hujus parabolæ, ut Theophylactus notat, eo præcipue respicit, ut necessaria injuriarum a proximis nobis illatarum remissio, tanto tenacius fidelium cordibus imprimatur: « Mens parabolæ, » inquit, « ut veniam demus « conservis in nos delinquentibus; præsertim si « illi veniam ante nos procedentes petant. »

Additiones.

a. — *Assimilatum est regnum Cælorum homini regi, etc.* Christus Dominus communis Magister per similitudinem parabolarum propositionem, communi se doctrinæ, ac methodo accomodat: « Quia, » ut ait D. Hieronymus, « Palæstinorum, Syriorumque « secutus est morem, qui ad omnem sermonem « parabolis jungunt, ut quod per simplex præcep- « tum teneri ab auditoribus non potest, per simi- « litudinem et exempla teneatur, atque cordibus « infigitur. » Præsentî autem parabola, rem valde necessariam nobis inculcare voluit Dominus, Deum nempe nobis peccata nostra non esse remissurum, nisi et nos injurias fratris remittamus. S. Augustinus in quadam homilia ita scribit: « Considerate, « fratres mei. Hoc Dominus Jesus Christus orare « docuit discipulos suos, illos primos magnos Apo- « stolos suos, arietes nostros: *Dimitte nobis debita nostra, sicut et nos dimittimus.* Si ergo peccatis « suis dimittendis arietes orant, agni quid debent « facere, de quibus dictum est: *Afferre Domino « filios arietum?* » Hoc igitur jacto fundamento, quod videlicet unicuique necessitas incumbat hanc recitandi orationem, sequentem subjungit doctrinam: « Induxit nobiscum Deus pactum et placitum « firmumque chirographum, ut dicamus: *Sicut et « nos dimittimus debitoribus nostris.* Si hoc quod est « posterius, aut non dicit, aut fallaciter dicit, illud « quod prius est, inaniter dicit. » Idem quoque Sanctus in alio sermone unicuique hanc orationem recitanti sequens tradit monitum, dicens: « Si « debitor es, gratulare te habere debitorem, in quo « facias, quod fiat in te. Audi me et dicente te, quia « vel de paucis prodis, qui possunt veraciter orare, « orationem Dominicam veraciter dicere: Domine, « dimitte mihi, sicut et ego dimitto. Non fallaciter, « non fecte, ex corde vero fac, ut in te verum fiat; « si enim qui te lesi t, qui in te peccavit, petit a te